



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

§. 6. Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus, subscripserunt cum aliis Patribus; ac proinde libellus pœnitentiæ apud Socratem lococitato, & Sozomenum, li. 2. cap. 16. illis abscriptus, ut ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Sozomenum hic inverso ordine recensere Sedes Apostolicas, & ab infima per intermedias superiores ad supremam ascendere. Nam Hierosolymitanæ Antiochena, Antiochenæ Alexandrina, Alexandrinæ Romana præminebat.

Dices. Theodoretus l. i. hist. c. 7. Socrates l. i. c. 8. Sozomenus l. i. c. 17. duos tantum Legatos Romani Pontificis Vitonem & Vincentium Presbyteros interfuisse Concilio narrant. Ergo Osius non interfuit Concilio, nec præfedit Concilio ut Legatus Romani Pontificis. *R.* Aliud est præcisè dicere, quòd Romanus Pontifex à latere suo Roma miserit duos Presbyteros, ut ipsius nomine præfessent; aliud verò, quòd miserit, ut soli præfessent. Primum dicit Theodoretus, non secundum: *Episcopus*, inquit, *urbis Romæ ob extremam senectutem absuit ipse quidem: duos tamen misit Presbyteros, qui ipsius nomine gestis Concilii subscriberent.* Item aliud est præcisè dicere, quòd duo Presbyteri Vito & Vincentius in Concilio vices Romani Pontificis egerint; aliud verò, quòd soli egerint. Primum dicunt Socr. & Sozom. Non secundum. *Aberat quidem*, inquit Socrates, *regis urbis Antistes: sed præsto eram Presbyteri, qui vices ejus implerent.* *Episcopus urbis Romæ*, inquit Sozomenus, *propter senectutem absuit: verum illius vice adfuerunt Vito & Vincentius, Romana Ecclesiæ Presbyteri.* Ex laudatis igitur Authoribus in locis allegatis habemus quidem duos Ecclesiæ Romanæ Episcopos, à latere Pontificis Roma missos, Concilii Præsides fuisse: at non habemus alium cum illis non fuisse, quia in locis allegatis eorum tantum meminerunt, qui post acceptas ab Imperatore litteras ex urbe regia ad Concilium venerunt, & quibus, quod ab Authoribus præfatis prætermisum ibi est, mandatum fuerat, ut sibi legationis socium assumerent Osiurn Cordubensem, de Ecclesiâ jam optimè meritum, magna apud Constantinum autoritate pollentem, vitæ sanctimonia, ac fidei sinceritate conspicuum, & de Ecclesiæ Alexandrinæ statu, de Ariano dogmate, arque schismate Meletii probè instructum.

Dices. Est quòd Osius præfuerit Nicæno Concilio, at saltem non præfuit ut Legatus Romani Pontificis. *R.* neg. Nam vel præfuit ut Episcopus Cordubensis, vel ut Legatus Imperatoris, vel propter toleratos in fidei defensione labores, vel propter gratiam & autoritatem, qua valebat apud Principem, vel propter doctrinam, vel propter sanctitatem, vel denique quia legatione Romani Pontificis fungebatur. Non primum: cum enim Cordubensis Ecclesiâ esset mediocris Ecclesiâ, Hispalensi Metropoliâ immediatè, & Occidentis Patriarchæ per appellationem subiecta, certè jus Episcopo suo tribuere non potuit ad præsidendum universali Synodo, in Oriente congregatæ, ante Apostolicarum Ecclesiarum, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ Episcopos, & ipsimet Romani Episcopi Legatos.

Non secundum: nam 1. cum Imperator præfens esset, non indigebat Legato. 2. Dicitur non potest Imperator in alium transulisse jus præsidendi, quod ipse sibi minimè arrogavit; imò sibi non competere, aperte agnovit, in humili subfello infra omnes Episcopos ledendo, nec prius sedere volendo, quam, ut sederet, annuissent Episcopi. Non tertium: plures enim aderant, qui majora pro fidei defensione passi fuerant, ut Paphnutius, cui in Maximiani persecutione oculus dexter effusus fuerat, & dexter poplex succisus; Paulus Episcopus Neocæsareæ Euphratensis, in persecutione Licinii ambabus manibus debilitatus, &c.

Non quartum: nam tanta ad minimum apud Imperatorem gratia & autoritate valebat Eusebius Cæsariensis. Non quintum: Eusebius enim Cæsariensis eruditione nemini secundus erat. Non sextum: nam aderant eximie sanctitatis Antistes, ut Alexander Alexandrinus; Spiridion Cypriorum Episcopus, in vita miraculis clarus; Jacobus Nisibis, qui mortuos suscitavit, vitæque restituit, &c. Superest igitur, ut dicatur Osius, quia cum Vitone & Vincentio vices

gerebat Silvestri Summi Pontificis, Nicænæ Synodo cum illis præfessisse, primum locum cum illis obtinuisse, & primum cum illis subscripsisse.

§. V.

Symbolum Nicænum.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium Creatorem, & in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, genitum ex Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantiali Patri; per quem omnia facta sunt, quæ in Cælo sunt & in terra. Qui propter nos homines & propter salutem nostram descendit, incarnatusque, & homo factus est, & passus. Qui resurrexit tertia post diem; ascendit ad Cælos, venturus est, ut vivos judicet, ac mortuos. Credimus & in Spiritum Sanctum. Eos autem qui dicunt: Fuit aliquando tempus, cum non esset, & antequam gigneretur, non erat; vel quod de non exstantibus factus est: aut qui ex altera substantia vel essentia dicunt esse Filium Dei, aut creatum, aut conversioni mutationique obnoxium, anathematizat Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesiâ.

Loco ad marginem citato scribit Socrates hanc fidem trecentos & octodecim Antistes probasse & amplexos esse, atque uno omnes ore & in unam sententiam conspirantes conscripsisse; quinque tantum repertos esse, qui illam amplecti nollent, Eusebium scilicet Nicomediensem, Theognin Nicænum, Marim Chalcedonensem, Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis Episcopos, qui vocem Consubstantialis plurimis cavillis ac disteriis infectati, Arii depositioni subscribere noluerunt. Quam ob causam Synodus Arium, & omnes, qui cum eo sentiebant, anathemate percussit; Imperator verò tum Arium ipsum, tum Eusebium ac Theognin exilio multavit, qui posteriores duo paulò postquam in exilium missi essent, in fidem Consubstantialis consensere, libello ad præcipuos Episcopos misso: quapropter ab exilio revocati, Ecclesias suas receperunt, pulsus iis, qui in eorum locum ordinati fuerant, nempe Amphione, qui Eusebio, & Cresto, qui Theognidi substitutus fuerat, ut narrat idem Socrates eod. lib. cap. 14. ubi Eusebii & Theognidis præteritum libellum exscripsit.

§. VI.

Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicænus subscriperunt cum aliis Parribus, ac proinde libellus penitentia apud Socratem loco citato, & Sozomenum lib. 2. cap. 16. illis adscriptus, ut suppositus, jure merito rejicitur.

Prob. 1. Ex Epistola, à Synodi Patribus ad Alexandrinos scripta, in qua sic loquuntur: *Primum habita est questio coram piissimo Principe Constantino de impietate ac perversitate Arii & sociorum ejus. Cunctisque suffragantibus placuit, ut impia ejus opinio anathemate damnaretur, verbaque ac nomina blasphemie plena. Et inferius: Tantam verò vim habuit ejus impietas, ut Theonam Marmaricæ, & Secundum Ptolemaidis Episcopum, secum in exitum pertraxerit. Nam & in istos eadem, quæ in illum, lata sententia est. Ecce Synodus, postquam dixit omnes Episcopos in Arii & blasphemiarum ejus condemnationem consensisse, duos tantum excipit, Theonam & Secundum, & de duobus illis tantum Episcopis dicit, quòd cum Ario damnati fuerint. Quis plures audebit excipere, & in plures latam fuisse sententiam excommunicationis & depositionis asserere? Præterea, ponderanda sunt illa Synodi verba: *Tantum verò vim habuit ejus impietas, &c.* Multo enim majorem vim habuisset impietas Arii, si secum in exitum pertraxisset non solum Theonam & Secundum, obscuri nominis Episcopos, sed etiam Theognin Nicænum, & Eusebium Nicomediensem, Bithyniæ Metropolitam, urbis*

Euseb. l. 1. de vita Const.

Theod. lib. 1. hist. c. 7.

Socr. l. 1. c. 12.

ad. lib. 1.

Apud Socr. lib. 1. c. 19.

urbis primariæ Episcopum, magnæ autoritatis virum, & eruditionis ac ingenii fama celebrem. Quare si re vera non solum Theonas & Secundus, sed etiam Theognis & Eusebius Arium damnare pertinaciter detrectassent; dubitare non licet, quoddam dictura fuisset Synodus: *Tantam verò vim habuit ejus impietas, ut secum pertraxerit in exitium Eusebium, Theognin, &c.* Hanc autem ad Alexandrinos epistolam absoluta Synodo conscriptam fuisse, & Alexandro Alexandriam revertenti traditam, clarè ostendunt hæc illius verba: *Vos ergo læti atque hilares ob felicem rerum eventum, & ob communem omnium pacem atque concordiam, & quod hæresis omnis penitus excisa est, majore cum honore ac benevolentia Collegam nostrum, vestrumque Episcopum Alexandrum excipite.*

Prob. 2. Ex S. Athanasio lib. de Decretis Nicænæ Synodi, ubi hæc habet: *Episcopi, sublati Eusebianorum vocabulis, istam formulam sanæ fidei conceperunt, omnibusque subscribentibus, subscriperunt & ipsi Eusebiani iis verbis quæ nunc culpant. Loquor autem de vocabulis, Substantia & Consubstantialitate; approbantes Filium Dei nullo modo facturam, aut creaturam esse, sed ætæternum, verbumque ex Patris substantia.* Cerrè cum hic S. Athanasius simpliciter dicat, Eusebianos ipsos subscripsisse, Eusebianorum nomine potissimum intelligere factionis antesignanos, ambigi non potest. Athanasio adjungo magnum Eustathium, testem pariter oculatum, ita loquentem ap. Theod. lib. 1. hist. c. 8. *Ariani mentes ne, tot Episcopis in unum congregatis, ipsi Ecclesia ejicerentur, in medium proficientes, dogma, quod improbatum fuerat, anathematizant damnavunt, & libello, qui unanimi omnium consensu conscriptus fuerat, propria manu subscriperunt.* Ubi cum simpliciter ait, Arianos subscripsisse, manifestè significat, aut omnes omnino, aut saltem maxima ex parte cum duobus suis subscripsisse.

Prob. 3. Ex Theodoret, accurato Scriptore, l. 1. hist. c. 7. ubi de Eusebianis sic loquitur: *Cum ingens omnium tumultus contra eos coortus esset, & tanquam proditores fidei ab universis accusarentur, metu percussi exsurrexerunt: primique, exceptis Secundo & Theona, Arium excommunicarunt. Hinc in modum, impio illo ab Ecclesia exurbato, cum formulam fidei, quæ ad hunc usque diem in Ecclesiis obtinet, communi consensu distassent, & subscriptionibus suis confirmassent, Concilium dimiserunt.* Et cap. 8. *Isti ergo morbum animi sui occultantes; Episcoporum enim multitudinem reformidabant; expositioni Synodi consenserunt..... Theonas autem & Secundus, cum id facere abnuerent, ab omnibus uno consensu excommunicati sunt, utpote qui Arii impietatem evangelicæ doctrinæ anteposuerunt.* Soli igitur Theonas & Secundus excommunicati, & abdicati maluerunt, quam subscribere, & Arium damnare.

Obj. Certum est Eusebium Nicomediensem & Theognin Nicænum ab Imperatore exilio multatos fuisse. Resp. Eusebium & Theognin ab Imperatore exilio multatos fuisse, non in ipsa Synodo, sed aliquantò post Synodum; neque quoddam Arii depositioni subscribere recusassent, sed quoddam Arianos aliquos, qui Alexandriæ turbas excitarent, ad comitatum abduci iustos, apud se recepissent, cum eis communicassent, eosque omni, qua poterant, ope adjuvissent. Hoc dicit ipsemet Imperator in quadam sua ad Nicomedienfes Epistola. *Alexandrinos, inquit, quosdam, qui à nostra fide desciverant, istuc abduci præceperam, propterea quod eorum opera ac ministerio discordiæ fax excitabatur. Verum isti egregii scilicet Episcopi, quos Synodi clementia ad agendam penitentiam servaverat, non solum istos susceperunt, & apud se tuto degere iusserunt, sed etiam malitia illorum socios se ac participes adjunxerunt. Quam ob rem adversus ingratos istos id agere decrevi. Abreptos videlicet quam longissime deportari iussi.* Eusebium autem ingratum vocat, quia, ut in eadem epistola narratur superius, Eusebius, cum ob susceptum antè & in ipsa Synodo Ariane impietatis patrocinium jamjam à Synodi Patri-

Simonnet Theol. Tom. I.

bus damnandus & abdicandus esset, per se & per alios confugit ad Imperatorem, orans ne tanti sceleris convictus, honoris sui gradu depelleretur: & intercedente Imperatore, orthodoxum se simulanti, & Symbolum atque Arii damnationem subscribenti locus ad agendam penitentiam datus est, ac pœna depositionis debita dilata.

Constantinus igitur, cum ex facto modò relato cognovisset, Eusebium & Theognium simulatè tantum damnasse Arianum dogma, eique re ipsa additissimos esse, convocavit Episcoporum aliquot Synodum, à qua Eusebius & Theognius exauctorati sunt, & in eorum locum suffecti Amphion & Chrestus, Amphion quidem in Eusebii, Chrestus verò in Theognidis locum. Hoc dicunt in sua ad omnes Catholicos Episcopos epistola Episcopi Alexandria in causa Athanasii, damnati à Tyria Synodo, congregati. *Qui igitur ipse (Eusebius Nicomed.) & Theognius potuerunt alios deponere, ipsi depositi, & exauctorati, & vitio suæ creationis famosi? Bene siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomedie, Chrestum verò Nicæ in eorum locum, ob impietatem & communionem, quam cum Arianis à Nicæno Concilio reprobatis habuerant, Episcopos constitutos esse.* Eusebium igitur & Theognium à quodam Episcoporum conventu, eò quod Arianam impietatem, quam paulò antea fictè damnavant, palam profiterentur, & cum Arianis à Nicæna Synodo damnatis communicarent, exauctoratos Imperator deportari iussit in exilium, à quo post triennium, ac proinde circa annum 329. revocati sunt, agente fortassis per Constantiam Constantini sororem Presbytero illo Ariano, de quo jam alias, absque episcopali judicio Sedes suas recuperarunt, exturbatis auctoritate regia Amphione & Chresto, atque in gratiam Principis ita sese insinuarunt, ut nihil non possent apud illum.

Obj. Libellus supplex Eusebii & Theognidis refertur à duobus laudatis Authoribus, Socrate scilicet & Sozomeno. R. hujus libelli suppositionem satis superque probari ex Synodi Nicænæ ad Alexandrinos epistola; ex Athanasio & Eustathio, eorum, quæ in Nicæna Synodo gesta sunt, oculatis testibus; ex Episcopis Alexandria in causa Athanasii congregatis, quorum etiam multi Synodo Nicænæ interfuerant. Ex his enim omnibus nihil minùs habemus, quam Eusebium & Theognium à Nicæna Synodo, eò quod Arium damnare nollent, abdicatos fuisse, & idcirco in exilium amandatos ab Imperatore. Hoc enim factum, & quidem iis in locis, in quibus, si verum esset, ultrò se ingereret, nec deberet prætermitti, non modò non affirmant, sed ne leviter quidem innuunt, imò contrarium sufficienter significant.

Accedit S. Hieronymi autoritas in dialogo contra Luciferianos, ubi Luciferiano dicenti: *An tandem & tunc (in Nicæna Synodo) recepti sunt Ariani? quoniam, quæso Resp. Orthodoxus: Eusebius, Episcopus Nicomedienfis; Theognus, idest Theognius, Episcopus Nicænus, &c.* & instanti Lucif. in hunc modum: *Si quispiam eos neget fuisse susceptos, quomodo revinctur? Resp. Orth. Superfunt adhuc homines, qui illi Synodo interfuerunt. Etsi hoc parum est, quia propter temporis antiquitatem rari admodum sunt, & in omni loco testes adesse non possunt, legamus acta & nomina Episcoporum Synodi Nicænæ: & hos, quos supra diximus fuisse susceptos, & subscripsisse hominison, inter ceteros reperiemus.* Hieronymus igitur in ipsismet Synodi Actis inter nomina Episcoporum, qui hominison subscriperant, legerat Eusebium Nicomediensem, Theognium Nicænum, &c. Unde eos non fuisse rejectos à Synodo colligebat, sed in aliorum orthodoxorum Episcoporum communione mansisse.

Nec dic Hieronymum ibi quoque asserere, quoddam Arius quoque cum Euzojo & Achilla susceptus fuerit à Synodo. Nam R. 1. hoc esse certissimum argumentum, quoddam in Actis Synodi non legerit Eusebium Nicomediensem & Theognium Nicænum, eò quod

N

Arii

Ariad Ath.
Apol.

Ap. Theod.
l. 1. hist. c. 2.

Arii condemnationi nolent subscribere, à Synodo excommunicatos fuisse & abdicatos. *Resp. 2.* Hieronymum id de Ario & duobus ejus discipulis asserere, ex relatione aliorum, qui decepti, ipsum deceperunt; non ex Synodi Actis, in quibus, non Arii & sociorum ejus, sed Eusebii utriusque, Nicomedienfis ac Casariensis, & Theognidis nomina legisse se affirmat.

Denique præfatus libellus falsitatis convincitur multis ex capitulis. Nam 1. Socrates scribit, Eusebium & Theognin, pœnitentiæ libello ad præcipuos Episcopos misso, Imperatoris jussu ab exilio revocatos, Ecclesias suas recepisse, iis, qui in ipsorum locum ordinati fuerant, expulsis. At si præcipuorum Episcoporum consilio Eusebius & Theognis ab exilio revocati sunt, si Episcopali judicio in integrum restituti, Ecclesias suas receperunt, quomodo etiam post annum 335. adhuc pro depositis & exauctoratis habebantur ab Episcopis orthodoxis? Habebantur autem, ut patet ex verbis Synodice Alexandrini Concilii epistolæ supra relatis, 2. Eusebius & Theognis in libello dicunt Arium jam revocatum ab Episcopis orthodoxis, se ipsum apud illos de iis, de quibus accusabatur, purgasse, *Si in conspectum vestrum nos venire patiamini, invenietis nos in omnibus concordēs, & decretis vestris mordicus inhaerentes: quando & cum ipsum, qui ob ista accusabatur, placuit reverentia vestra humaniter tractare, & ab exilio revocare.* Porro absurdum fuerit, cum is, qui reus esse videbatur, revocatus sit, seque de illis, quæ ipsi obiciebantur, purgaverit, nos silere, & argumentum adversus nosmetipsos suppeditare. At Arius ab orthodoxis Episcopis nunquam ab exilio revocatus est, nunquam ab illis ad se purgandum admissus, nunquam ab illis ut orthodoxus susceptus, ut manifestum est ex facto B. Alexandri, Constantinopolitani Episcopi.

Præterea, si Arius ab orthodoxis Episcopis susceptus est, antequam ab exilio revocarentur Eusebius & Theognis, vel hoc contigit in ipsa Synodo Nicæna, vel aliquantò post. Non primum, ut patet ex synodica ad Alexandrinos epistola, quam absoluta Synodo scriptam fuisse, & S. Alexandro Alexandriam redeunti traditam, supra probatum est. Non secundum. Nam si aliquantò post Synodum Nicænam revocatus & susceptus est Arius, antequam Eusebius & Theognis revocarentur, quare, Eusebio ab exilio reverbis, Arium cum Imperatoris & ipsius Eusebii litteris Alexandriam venientem constanter rejecit Athanasius, non solum ut hæresis inventorem, sed etiam ut hominem ab universi Orbis Concilio damnatum, nec ullis precibus minime adduci potuit, ut eum in communionem suam admitteret? Quapropter, inquit Athanasius, primum ad nos litteras hortatorias scribis de Ario recipiendo, sed ita ut sine scripto minaretur, scriptis autem speciem rogantis præferret. Verum ubi illi responsum esset, hæreseos inventores veritati infestos, & damnatos ab universi Orbis Concilio, minime recipiendos esse; Cæsarem beatæ memoriæ Constantinum inducit, ut mihi cum minis scriberet, ea nos expectare debere, quæ & nunc & antea passi sumus, nisi Arium reciperem... hic cum ego Cæsari persuasissem, nullam esse debere Ecclesie Catholice cum hæresi Christi oppugnatrice communionem, tum demum tempus obvenisse arbitratus Eusebius, quod cum Meletianis constituerat, litteras ad eos scribit, ut scelera ea de nobis fingerent, quibus se adversus Petrum, Achillam, & Alexandrum exacerant. Hæc autem omnia post Eusebii ab exilio reditum, & paucis ante Tyrium Conciliabulum annis, omnibus exploratum est contigisse.

Lib. 1. c. 27.

Quid plura? ut narrat ipse Socrates, non ab Episcopis, sed ab Imperatore, opera Presbyteri illius Ariani, qui se primum in Constantiæ, deinde in Constantini familiaritatem insinuarat, ab exilio revocatus est, & Alexandriam redire permittitur, ut ibi communioni ecclesiasticæ restitueretur. Quod facere constanter renuit Athanasius. Unde Eusebius occasionem

sumpsit, ea in Athanasium per Meletianos fingendi crimina, propter quæ in Tyrio conventu ab Eusebianis depositus est. Imò ipsimet Eusebiani cum Ario non ante communicarunt palam, quam anno 335. in Conventu Constantinopolitano, ubi prævalente Eusebianorum factione, in Ecclesiam admissus est. Quo non obstante, anno sequenti S. Alexander Constantinopolitanus noluit cum eo communicare. Prædie autem, quàm ab Eusebianis per vim in Ecclesiam inducendus erat, turpissima morte extinctus est, ut jam narravimus. Falsum igitur est, quòd Arius ab Episcopis orthodoxis humaniter unquam tractatus fuerit, quòd ab illis ab exilio revocatus fuerit, & quòd sese apud illos de iis, de quibus accusabatur, purgaverit; proindeque libellus pœnitentiæ Eusebio & Theognidi adscriptus, tanquam spurcius & supposititius expellendus est.

Nec fidem ullam meretur Rufinus, mediocris auctoritatis historicus, cum ait l. 1. hist. cap. 11, *Tantum fuisse Concilii moderationem, ut non in personam ejus (Arii) sed in dogmatum pravitatem fuerit lata sententia.* Nam hoc manifestè repugnat Athanasio, & Synodi ad Alexandrinos epistola. Præterea, contrarium ipse dicit cap. 5. ubi scribit septemdecim tantum Episcopos fuisse in Concilio, quibus Arii fides magis placeret, & ex illis solum sex cum Ario se passos esse expelli; reliquos verò undecim, consilio inter se habito, acquievisse ad subscribendum manu sola, non mente.

S. VII.

Patres Nicæni convenientissime & sapientissime Symbolo suo addiderunt vocabulum *Omoûsion*.

Prob. Illud vocabulum convenientissime & sapientissime à Nicænis Patribus additum est, quo hæreses omnes contra Filium Dei excogitata ita profigantur, ut nullus hæreticis tergiverfandi, vel evadendi locus supersit. Atqui tale est vocabulum *Omoûsion*. Ergo, &c. Maj. pater. *Prob. min.* Nam vocabulum *Omoûsion* ex æquo Sabellianismum & Arianismum penitus evertit. 1. Evertit Sabellianismum: nam nihil sibi *omoûsion* esse, vel dici potest: quidquid enim *omoûsion* est, alteri *omoûsion* est, quia *omoûsion* idem est ac ejusdem substantiæ; & quod ejusdem substantiæ est, non secum, sed cum altero ejusdem substantiæ est. Ergo *Omoûsion* significat personarum distinctionem; & Patres Nicæni dicendo Filium *omoûsion*, seu consubstantialem Patri, aliam Patris, & aliam Filii personam esse definiunt.

2. Vocabulum *Omoûsion* evertit Arianismum: nam si Filius est *omoûsios* Patri, Filius est verè & propriè Filius Patris, & Pater est verè & propriè Pater Filii; Filius non factus, sed verè & propriè genitus est à Patre; Filius non est ex non extantibus, sed est verè & propriè de substantia Patris; falsum est, quòd erat, quando non erat Filius, & quòd antequam gigneretur, non erat, sed æternus est, & Patri coæternus; Filius non est creatura, sed Deus verus de Deo vero; Filius non est conversioni vel mutationi obnoxius, sed immutabilis eadem immutabilitate, qua Pater; sicut & æternus, omnipotens, justus, misericors, bonus, &c. eadem, qua Pater, æternitate, omnipotentia, justitia, misericordia, bonitate, &c. Nam si Filius est *omoûsios* Patri, seu ejusdem essentia, substantia, & naturæ cum Patre, vel multiplex est numero divinitas, & sic plures sunt Dii, quod implicat; vel una est Patris & Filii divinitas, & consequenter una est Patris & Filii immutabilitas, æternitas, immensitas, omnipotentia, justitia, &c. Nam si una & eadem numero divinitas communis est Patri & Filio, attributa omnia, quæ per se ipsam est divinitas illa, Patri & Filio communia esse necesse est.

Sic argumentatur S. Basilus epist. 300. ubi sic ait: *Quia ex non ente ad esse productum fuisse Filium, etiam tunc nonnulli (Ariani) asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem illi Patres (Nicæni,) nomen omoûsion*